

Caesaris ut iussu pelli genitalibus oris
 Mallet, & exilii triste subire malum
 Cedere, quam latum fidei de luce vel ungvem
 Pastoris fungi nec satis officio.
 Hac quoque difficiles dum vixit in urbe labores
 Pugnans pro Christi plebe subinde tulit
 Dum placide moritar curis exhaustus & annis
 Dans animam coelo membra caduca solo.
 Suffice tu similes ovium Pater Alme ministros!
 Suffice! nempe furit trux ad ovile Satan.
 Ut sincera tui carpentes pabula verbi,
 Laudibus aeternum te celebremus, Amen.

§. LIII. D. GERHARDVS WESTERRVRGIVS, vulgo de
 Colonia appellatus, ex Carolostadii fuit asseclis. Vnde & Ele-
 ctoris mandato Iena iussus est exire. Sed spem emendatio-
 nis faciens, & errores deprecatus, intercessore ap. Electorem
 Luthero, libertatem manendi obtinuit. Factum est, Anno
 CLO XXV. Seckendorf. L. II. in Add. ad §. IX. p. 28.

§. LIV. Agmen claudat GEORGIVS ZIMMERMANNVS,
 fidus Philippi Henrici Homagii Achates, illius inquam viri, qui
 se morionem in regno chiliaستico appellare non est veritus. Ex quo
 socio iudicatu iam erit facillimum, quas ille sententias, & op-
 niones foverit. Praeter Chiliasmum enim, ut est ap. Ottium, in
 Annal. Anab. p. 243. iactabat immediatas revelationes, Iuuenes,
 fidei suae commissos, erat enim ludimoderator Marpurgensis,
 contemptu verbi divinioris, & auctorum profanorum, imbue-
 bat, loquimini, inquiens, vos Latine, atcunque potestis, Theologos
 praeterea convitiis, dicteriisque, proscindebat. Quibus effecit, ut
 una cum Homagio in custodiam includeretur. Homagius in er-
 rore fuit pertinax, quem Zimmermannus agnovit, haud dubie, ut
 a poenis se praefstaret immunem, quas Magistrati Homagius
 dabat. Rediit namque non multo post ad ingenium, suum
 que lapsum, ita loquebatur, lachrymis prosecutus est. Te-
 stem habeo Annam Ovvenam Hoyeriam, Fanaticam in Hol-
 satia foeminam, quae in Poem. p. 242. ita:

Und Beyd (Homagius & Zimmermannus) in carcerem gefüret,
 So unbarmherzig da tractirt.
 Das der Zimmermann revocirt,